DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimâ-ſecundâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. LUDOVICO-GABRIEL DUPRÉ, Sereniſſimi Principis Condæi Conſiliario Medico, Doctore Medico, Præſide.

An in excitandis fonticulis lapis cauſticus præſtantior?

I.

N variis permultiſque morbis qui vel ſilentio ſubeunt, vel aperto marte ſæviunt, morituroque homini dùm miſerè vivit, intus & extrà inſidiantur, non una eademque natura agendi, non una medendi ratio. Plurima necnon proficua ſœpè perfugia pertentat atque meditatur quibus ab hoſte duriùs aut diutiùs impetita ſublevari queat. Hinc in morbis ſponte ſuâ tumores, abſceſſus, ulcera opportunè concitat, quorum beneficio, quidquid inimici, quidquid corrupti intùs deliteſcit foras amandat; ægros à diuturnis ac periculoſiſſimis malis liberat, aut reddit immunes. Ergò optima morborum medicatrix natura. Ergo medicina optima quæ imitatio naturæ. Naturam ubique aſſecutus eſt Hippocrates. Hanc etiam in agendo ducem ſequitur, qui fonticulos ad ſervandam vel inſtaurandam ſanitatem in variis corporis partibus excitare allaborat optimus quiſque medicus. Hos inſtituendi ratio vulgò triplex: ſcalpello, ferro candente, cauſtico. Ex iis porrò, quæ virtute ſuâ naturæ voto feliciùs reſpondeat, medentiſque ſcopum tutiùs pertingat, elige.

I I.

FONTICULORUM uſus, quidquid contrà effutiant Helmontiani, is eſt imprimis, ut opportunâ ſcilicet revulſione, exitu facili, quælibet indomita indociliſque regi, tollatur morbi cauſa, foras expellatur, proindèque morbus ipſe perfectè ſanari, ſin minùs ſaltem leniri queat. Licet enim remedia quam plurima eaque propè modum tutiſſima adversùs ægritudines habeat ars præclara medendi magiſtra, necnon præſentiſſimis auxiliis inſtructa videatur; non nulli tamen, nec ii leves annumerantur affectus præternaturales, quorum cauſam penitùs eradicare ſelectiſſimis quibuſcumque medicaminibus fruſtrà tentaveris; Pharmacorumque virtutem morbi vis ipſa ſuperet, dùm proſperè tunc cedunt fonticuli. Quæ quidem ideò præſtat natura, quòd illa ſibi præ cæteris arrideat, palmamque aliis prœripere videatur ratio quæ fonticulis cauſtico lapide excitandis prudens intendit; quòdque experientiâ multiplici teſte largiorem imprimis diuturnioremque ſuppurationem promovendo propoſitum ſibi finem rectiùs aſſequatur medendi peritus.

I I I.

UT in ipſis curandi viis, ſic in gradibus, quæ inflammationi mirè conſentit, aduſtio non abſimilis. Combuſtionem exiguam levior inflammatio, graviorem vehementior excipit. Cujus etiàm nec reſolutio ſperanda, nec in gangrænam vel ſkirrum qui longè pejor, exitus, inflammationem paſſibus æquis aſſequitur laudabilis omnino quæ ex naturæ voto fieri debet ſuppuratio; ſalutare illud φυσεως molimen quo quidquid vitali humorum motui adverſatur aut ineptum eſt à reliquis partibus ſanis ſecernitur. Parcior etenim ab inflammatione levi, à majori verò largior ſuppuratio contingit. Quantòque feliciùs ſuccedit utile ſuppurationis opus, tantò pluris æſtimatur illa quæ fonticulis haud immeritò debetur tempeſtiva noxii humoris excretio. Partibus admoto appoſitoque lapide cauſtico, cutis eidemque ſubſtrata pinguedo vel & ipſa caro ſic altius inuruntur, ut corrugatis protinùs diſruptiſque fibris ac venulis, cruſtam referant ſicciſſimam quæ graviori exorta inflammatione, ſuppuratione, ſoluta tandem penitùs excidit, ulcuſque relinquit in quo pus natum, collectumque, morâ, calore loci, ipſiuſque

jugi cùm pravis corporis liquidis miscelâ acrius factum, semilaceras partes vellicando potentiùs exstimulat. Hinc quâdam veluti suctione hùc alliciuntur, depluunt humores, quorum eo major datur affluxus, quòd uti sapienter annotavit Hippocrates, collisæ, laceratæ carnes citiùs tabescere, subputrescere debeant: quâque datâ portâ ruunt deleterii sanguinis succi, ultrò pergunt evadere, atque ità in partem illam morbi detonat impetus, dùm benignâ revulsione sanguis ipse defæcatur, sanitas, vitamet ab hoste liberantur infensissimo.

I V.

SCALPELLO contrà excitatus, haud aliter quàm vulnusculum simplex habendus est fonticulus, partiumque anteà cohærentium inter se divisio simplicissima, dùm sola cutis ut plurimùm cùm subjecti panniculi adiposi parte inciditur, nullaque proindè aut nulla ferè fit substantiæ jactura; hinc nulla ad suppurationem, ad coalitum verò propensio maxima; vitaque superstes non inimitabili tantùm sed prorsùs ignoto artificio unit separata, brevique naturalis absolvitur vulneris istius sanatio. Quæ quidem ad tempus præpeditur, talibus immissis, peregrina vocant, quæ partium adunationem utrumque protelare valeant. Molestissimum etiam & crudele alterum quod ferri candentis ope fonticulos excitandi artificium instituitur. Miserrimos ægrotantes, integrum diem quin & plures dies horrendè cruciari, ejulare videas. Immanis indè, nimiùmque protractus dolor vigilias, vigiliæ perturbatos humorum motus, hi verò febrim acutissimam inflammationes, deliria, convulsiones, ineluctabilemque malorum iliadem parturiunt.

V.

AT exclamant nonnulli: compendiosè scalpello fonticulus excitatur, dùm admoto lapide, ad quatuor, sex, octo circiter horas imò ad diem sæpè protelatur, prout scilicet caustici vis, cutis indoles longius aut brevius intervallum postulaverint. Armaturæ profectò levioris argumentum! siquidem ferro licet iste citiùs instituatur, proposito tamen evadit impar muneri fonticulus, in causticis verò ea virtus inest quæ suppurationem promoveat, acceleret. Urgent tamen, effrænum causticum & exlex nullis refrænari valet habenis. At præviâ co-

gnitione Chemicâ imprimis inſtructus, experientiâ fretus, cauſtici lapidis ſic naturam callet medicus, effectuſque ad nutum ſic moderari imperioque regere poteſt, ut circà vires & exitus, nihil quidquam habeat incerti, nihil omninò quod metuat. Ingeminant: quàm moleſtus, tàm efficax eſſe ſolet, qui ferri candentis ope ſolet inſtitui fonticulus. Quid non mali verò parere valet horrendus protractuſque dolor! neminemque latet ſæpiſſimè res eſſe cùm hominibus adeò meticuloſis, delicatulis, mulierculis ut animo linquantur ubi vel mentio tantùm fit ſcalpelli, candentiſve ferri, nedùm viderint, quibus commodè tunc, exituque proſpero cauſticus lapis apponitur.

Ergò in excitandis fonticulis lapis cauſticus præſtantior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis-Nicolaus MALLET.

M. Marinus-Jacobus-Clarus ROBERT, S. Ducis Bipontini Archiater, necnon à Conſiliis & Secretis.

M. Joannes-Franciſcus-Clemens MORAND, Eques, in Regiâ Invalidorum domo Medici Coadjutor, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis ſocius Penſionarius, & è Regiâ Societate Londinenſi, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius honorarius, apud Leodicos, Collegii Medici Aſſeſſor honorarius, necnon jure civitatis muneratus.

M. Franciſcus-Ludovicus THOMAS D'ONGLÉE.

M. Guillelmus FUMÉE.

M. Maximilianus-Joſephus LEYS.

M. Joannes DESCEMET, Cenſor Regius.

M. Martinus NOUGUEZ.

M. Ludovicus-Alexander GERVAISE.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS DES BOIS DE ROCHEFORT, Eques Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1774. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1774.